



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Vt lite pendente nihil innovetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

c. 1. *de dolo & contum.* Non si per eum steterit, quo minus possessionem intraverit. c. 2. *in fin.* *de eo qui mitt. in poss.*

Sed hoc obtinet, si reus nullam de stando juri deridet cautionem ; Dans enim eam , restituendus est.  
d. c. 1.

Sed hæc omnia , quæ diximus , obtinent , si talis sit causa , ut actor in possessionem mitti possit. c. 3. *ut lite non contest.* id est , si quæstio sit de rebus profanis , non de dignitate , seu personatu , vel beneficio Ecclesiastico obtinendo : Tunc enim missioni in possessionem non est locus , sed ad sententiam definitivam proceditur : c. un. *de eo qui mitt. in poss. in 6.* vel contumax per censuram Ecclesiasticam coërcetur , & parere compellitur.  
d. c. 3.

### *Ut lite pendente nihil innovetur.*

#### T I T. XXIII.

**T**raditur hoc titulo Regula: *Lite pendente nihil esse innovandum.* Cujus exceptio est superioris tituli doctrina.

*Lis pendere* dicitur , non solùm post contestationem ,  
c. *ex parte.* 30. *de verb. signif.* sed etiam (ut Doctoribus placet) post citationem reo intimatam usque ad sententiam definitivam , c. 1. & 2. *hic.* imo etiam post sententiam definitivam . si ab ea sit appellatum. c. *pastoralis.* 28. §. *præterea.* *de offic.* *Iud.* *deleg.* c. *de sent.* & *re jud.* c. *sape contingit.* 44. *vers.* *salvis.* *de appellat.*

Citatio ut litis pendentiam inducat , sex requiruntur.  
sec. Clem. *cum lite.* 2. *hic.* 1. Quod citatio emanârit ;  
2. A Judice competente ; 3. Ad citatum pervenerit ; aut pereum steterit , quomius perveniret ; 4. Citatus ex citationis tenore plenè cognoscere potuerit , qua de re controversia sit futura ; Citatio sit apta ; 6 Nuncius eam legitime & sufficienter insinuaverit. *per Gl. in d. Clem. cum lite. Myns. obs. 24. cent. 4.*

Lite



Lite pendente , nec judici , nec adversario , licet , sive propriâ , sive etiam Principis auctoritate , sine causæ cognitione aliquid innovare.

Unde privilegium vel rescriptum , lite pendente imperatum , si de hoc expressè mentionem non faciat , non valet . c. 1. & c. ult. hic . c. causam . 19. de testib. & attestat.

Nec , matrimonio ob causam consanguinitatis accusato , alter conjugum jure suo privari potest , quousque consanguinitas fuerit probata . c. 2. hic .

Si tamen , dum super primo matrimonio lis pendet , secundum rite sit contractum , hoc , si primum declaretur fuisse nullum , pendentis litis obtentu irritari non poterit : c. cum in Apostolica . 18. de sponsal.

Alioqui quod lite pendente innovatum , nullum est ; & qui innovavit , in expensas damnatur , & jure sibi competente privatus , infamis efficitur . c. pen. & ult. C. ut lite pend nulli lic. Imper. supplic.

### *De sequestratione possessionum & fructuum.*

T I T. XXIV.

**N**on solùm contumacia Rei missione in possessionem punitur , & aliis modis , de quibus titulo proximum præcedente diximus ; sed & Sequestratione . c. 2. de dolo & contum.

Ea est rei controversæ , vel fructuum ejus apud Sequestrem , contendentium consensu , vel judicariâ auctoritate facta depositio , ut ab eo custodiatur , & lite finitâ vitori restituatur . l. licet . 17. ff. depoſ. l. sequester . 110. de verb. sign.

Est vel *conventionalis* , quando libera voluntate contendentes ex sponsione rem deponunt : vel *judicialis* ; quæ fit mandato Judicis inter litigatores .

Hæc , cùm ab executione non sit incipiendum , l. i. C. de execut. rer. jud. nec alicui temerè possessio (cujus magna est